



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Decani Templi summi potestas in praevaricatores. 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

*Ahor. 4.* id est, Regulares. Neque enim clam est, primam eorum originem Monasticæ disciplinæ fuisse. Imitentur Apostolos & nascentis Ecclesiæ ministros, quorum erat cor unum & anima una; qui quotidie (ut in Actis Apostolicis legimus) perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, fumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, perseverantes in orationibus, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. De tali conventu Psaltes dixit: Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum. Qui &, compellens ac provocans ejuscemodi conventum, ait: Ecce nunc benedicite Domino, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Porro Ecclesiæ istæ Collegiæ quandam vetustatem spirant, & Ecclesiæ primitivæ institutum præ se ferunt; quod vel formæ ædificiorum ostendit, quæ Canonicos, prope templum, in unum pene habitaculum collocavit, ut, procul à promiscua multitudine separati, Divinis pariter laudibus jugiter infisterent.

C A P. V. *Quemadmodum preces Horaria, aliæque Divinæ laudes, decantandæ.*

*Ex Concil. Agath. c. Presbyter. e. dolentes. de cele. Missar.*

**S**Tatis ergo ac debitis horis laudes Divinæ, non cursum ac festinanter sed tractim, non truncate sed integre, distincte, devote, reverenterque, ab omnibus decantentur persolvanturque. Et, quum psallendi gratia conveniatur ibidem, muta aut clausa labia nemo tenuerit; sed omnes pariter, senes cum junioribus, laudent nomen Domini, in psalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulantes: sic tamen, ne boatus confundat recitationem. Nemo tum, cum publice vel preces Horariæ vel Missæ sacrum cantando peraguntur, legat vel dicat privatum Officium: nam is id, cui obnoxius est, choro subtrahit, atque alios vel psallentes perturbat vel à psallendo retrahit. Quem tamen aliud officium Ecclesiasticum aut publicum aliud statim rapiet, ut, nisi legens, preces Horarias tempeſtively absolvere haud possit, hac lege teneri nolumus. Quam autem à vero aberrant, qui existimant, sese non alicujus Officii in Ecclesia exercendi, sed quietis & inertiae tantum causa, Canonicatus esse adeptos: perinde atque satis sit, paucis quibusdam Clericis, admodum ignavis, tenui precio conductis, curam Divini Officii committi, quod deinde ejuscemodi mercenarii, non servatis temporum interstitiis, syncopando transcurrunt, interim ipsis Canonicis tota vita torpentibus.

C A P. VI. *Inter sacra nihil ne cogitandum quidem, quod Dei aut Ecclesiæ oculos offendat.*

**L**onge vero abominabile est, quod quidam tum, cum Divina aguntur, inter sese de rebus prophanis tractant, musitationes, colloquia, risus & cachinnos intermiscunt. Quidam, aut in aliquem Chori angulum se recipientes, de nugis, ne quid gravius dicamus, commentantur; aut foris per templum magno cum populi offendiculo deambulantes, oculos pariter & aures ad vanitatem convertunt, atque sacra loca foedant, positi in lapidem offensionis & petram scandali. Hac lege nullum excipimus, sive claris sit natalibus prognatus, sive plebejus. Quin potius, qui genere præstant, meminerint, se illic Canonicos agere, & conversari, non in aulis, sed in scholis virtutum ac Ecclesiasticæ disciplinæ.

C A P. VII. *Decani templi summi potestas in prævaricatores.*

**F**acimus quoque Decano Ecclesiæ Nostræ potestatem, personas Ecclesiasticas, ex aliis Collegiatis Ecclesiis, interdum magis curiositate rerum novarum quam devotionis causa, ad templum summum se recipientes, ac inibi, præter omne decorum, sæpe etiam Ecclesiastico habitu non amictas, inter Laicos sursum ac deorsum inambulantes, pœna Canonica, nimirum suspensionis temporariæ, aut majori etiam, pro ratione culpæ, coercendi.

C A P. VIII. *Quem oporteat esse vestitum ministrantium in hisce Ecclesiis.*

**D**E vestitu Clericorum ante diximus, qui in his tanto debet esse decentior, quanto sunt altiori loco, perindeque atque in speculo quodam constituti. Sit ergo chorum ingredientibus vestis talaris, sint pilei, (quæ bireta vocamus,) sint camisiæ, sint denique calcei pariter & caligæ tales, in quibus non fastus, jactantia, elationis vitium, vel mentis levitas, sed Clericalis Ordinis honestas & modestia, deprehendatur. Siquidem ita semper visum est majoribus nostris, externum habitum, quid intus crepet, designare; adeo ut & leges Civiles injuriam, matronæ, habitu meretricio utenti, illatam, non vindicent; ac Canones Clericum, non alligatum conjugio, habitum ac tonsuram Clericales deferentem, post tertiam monitionem; Clericum vero conjugatum, statim, Privilegio exuant Clericali: adeo ut, sic in maleficiis deprehensi, animadversionem civilium Magistratuû non evadant. Ne autem posthac quispiam excusationem non factæ aut præviæ monitionis prætexat; hac Nostra Synodali consti-

*Homo. 3. c. ex parte de priv. & excess. privile.*